DOCTISSIMO ET PRÆSTANTISSIMO

VIRO

AMEDEO THIERRY,

D. D. D.

DE

ROMANI EXERCITUS

DELECTU ET SUPPLEMENTO

AB ACTIACA PUGNA USQUE AD ÆVUM THEODOSIANUM.

DISQUISITIO HISTORICA.

AUCTORE CAR. JUL. REVILLOUT,

Scholæ Normalis Alumno.

HISTORIÆ PROFESSORE AGGREGATO.

PARISIIS,
APUD JOUBERT, BIBLIOPOLAM.

—

1849.

Quum bello atque armis populus Romanus crevisset, atque fines in immensum propagavisset, ita ut totum genus humanum quasi suum fecisset[1], non ipsa in victoria perpetua pace frui atque paratis opibus potuit acquiescere. Etenim dominationem universam tanta opera, tantaque disciplina partam, retinere tuerique adversus novos hostes debuit, et vix subactus erat vetus orbis terrarum, quum exortæ sunt a septentrione ignotæ gentes, cum quibus per quadringentos annos Romanis decertandum fuit, donec, perfractis viribus, imperium obrueretur. Porro operæ pretium esse videtur requirere qua ratione deligeretur et suppleretur ille Romanus exercitus, qui contra tantam vim hostium tamdiu vario Marte dimicaverit, et veterum artes et jus et societatem humanam adversus barbariem defenderit; quod præclarissimo doctissimoque viro

[1] Tam et hoc gentes humanæ patiantur æquo animo, quam imperium patiuntur. Liv. in procem.

observatum[1], tractare mihi in animo est, si forte rem tanti momenti e vetustatis tenebris in lucem proferre possim[2].

Imo historiam populi Romani legenti subit in mentem alia et magis elata cogitatio, scilicet Romam, domito orbe, belli atque pacis artes conjungere et colere conatam, in tanto opere defecisse. Etenim bellum quod antiquitus primum omnium civium et quasi unicum negotium fuerat, sub Principatu eumdem locum non tenuit in studiis privatorum, sed quum illos ab artibus, et rei domesticæ curis averteret, intolerabile quidem onus fieri cœpit. Legio autem et exercitus, qui primis temporibus nihil aliud erant atque ipse populus armatus, et « classes procinctæ extra pomœrium[3] », contra, amissa libertate, tanquam alieni, externi, interdum infesti fiunt, nempe instrumenta regni, quæ Imperatoribus auxilio et una terrori sunt, et, simul Rempublicam tutantur, simul illius opes exhauriunt. Atque haud scio an quidquam sit meditatione dignius quam illa militia Romana, sensim ab Augusto primum mutata, servatis etiam rerum nominibus, modo magis ac magis inversa, deinde adeo a veteri ratione et prima specie abhorrens, ut legio, quam olim tantummodo Romani supplerent, omnibus tandem, præter Romanos, pateat, et,

[1] Qui ne serait désireux de savoir, par exemple, comment se recrutaient et s'entretenaient ces légions qui protégèrent cinq cents ans la civilisation contre toutes les barbaries conjurées ? *Amédée Thierry*, Mémoire sur l'Organisation de l'Administration centrale dans l'Empire romain.

[2] *Lebeau*, Academ. Inscript. socius, XXVI tractatus de Romana legione composuit, quorum unus gallice inscribitur : « De la manière dont on levait les soldats pour composer la légion. » In hoc autem multa optime disseruit doctissimus auctor de delectu ante Actiacam pugnam : sed minus accurate et sæpe confuse rem tractavit post Principatum Augusti. Cæterum unice legionis supplementum attigit.

[3] Classem procinctam extra pomœrium, id est, exercitum armatum, videre. Fab. Pict. ap. Gellium X, 15. Egger lat. serm. Reliq. p. 107 : Quum procinctæ igitur classes erant. Gell. I, 11.

primum civibus mox et provincialibus sacramenta aspernantibus, externis Barbarisque unice conflatum sit.

Id igitur nobis explanandum proponimus, qua rerum serie Romanus exercitus, primum civibus tantummodo constans, deinde civibus et auxiliis mixtis, tandem Barbaris fere totus compositus fuerit. Itaque ab Actiaca pugna initium facientes, quis esset delectus, pereunte Romana libertate, primo loco exponemus; secundo, quis is factus sit, instituto Principatu; tertio, ut omnino mutatus fuerit a Diocletiano et Constantino, utque, quum sic quoque male cesserit, tandem ad Barbaros, ut ad ultimos tirones, prorsus imperium se converterit.

Ex eo manifestum futurum esse videtur, omnium civium delectum, quem agebant veteres Romani, non nisi in Rerumpublicarum primordiis, et apud gentes ætate et bello florentes vigere posse, nequaquam apud populos humanioribus moribus et institutis excultos; atque hac constituendi exercitus ratione omnem militiam necessario dilabi atque interire, quum civitas in studiis et artibus pacis profecerit. Illud enim planum facit Romanorum exemplum experimentumque, qui primum, Augusto regnante, subitum, ut ita dicam, delectum in supplementum converterunt, institutis legionibus perpetuis et stabilibus, dein totum deligendi modum mutaverunt, et tirones non omni hominum conditioni, sed nonnullis tantum ordinibus indixerunt.

PARS PRIMA.

QUIS FUERIT DELECTUS ANTE ACTIACAM PUGNAM.

Quum legibus et libertate Roma vigeret, cives omnes, ærariis exceptis [1], ad delectum vocabantur, et in legionum numeris componebantur. Hoc erat exercitus robur et urbis murus [2], vel potius armata civitas [3]. Die enim indicta, consules in Capitolium una cum idoneis civibus conveniebant, et per sedecim tribunos, quos antea designaverant, delectus habebatur [4]. Sed posteaquam Respublica fortunam suam amplificavit, jure civitatis, non extranei

[1] Sallust. Jugurth. 36.

[2] Unde enim apud antiquos murus dicebatur pedestris exercitus. Veget. I, 20. τεῖχος ap. Græcos. Dion. Fragm. Eclog. ult. Ursini. Cf. *Lebeau*, 1er Mémoire sur la lég. Tom. xxv. Mém. Acad. Inscript.

[3] Armatam faciat civitatem. Veget. II, 23.

[4] Polyb. Reliq. lib. VI, 19, 20. Consules militiæ summum jus habento. Cic. de legib. III, 6. Cf. *Lebeau*, Xe Mémoire sur la légion. De la manière dont on levait les soldats pour composer la légion. Tome XXXII.

tantum singuli, sed totæ gentes donatæ sunt, et tunc, crescente in dies civium numero, ad Jovis templum omnes concurrere non potuerunt, quum intervallo locorum et temporum ab urbe disjuncti essent. Quum igitur delectus, nec uno tenore, nec Romæ tantummodo fieri posset, conquisitores aut triumviros consules per Italiam et provincias mittebant, qui tirones, in conventum vocatos, ad sacramentum adigerent [1]. Si quis autem militiam, nisi sibi justa vacatio esset, detrectaret, quum « ipse sibi libertatem abjudicare videretur [2], » aut populi jussu vendebatur, aut humanius damno et virgis ad dandum nomen coercebatur [3].

Quum vero in magno discrimine Respublica versaretur, tum tumultus erat [4], et conjurationem evocationemque [5] senatus indicebat. Hoc autem nomine nuncupabant Romani quoddam delectus genus, quod sine vacatione habebatur [6]. Tunc nemo excusari nec senio, nec valetudine poterat, et ipsi veterani et emeriti (unde rei nomen erat) evocabantur ; libera enim in civitate, quum summum periculum esset, omnes, ut liberi essent, illud, sine ulla detrectatione, adire debebant [7].

Suis autem viribus non tantummodo utebatur populus Romanus, sed ut socii fœderatique cum periculis ejus sua communicarent [8], auxilia illorum arcessebant, quæ legiones opera et labore in bella juvarent. Hæc autem præ-

[1] Liv. XXI, 11. Cic. de Prov. Consul. 3. Liv. XXV, 5.

[2] Ipsum sibi libertatem abjudicasse. Cic. pro Cæcin. 34.

[3] Liv. IV, 53. VII, 4. Dionys. VII, 10. Cf. *Lebeau*, loc. laud. p. 331 et seq.

[4] Cic. Philip. V, 19. Cf. *Lebeau*, loc. laud. p. 338 et seq.

[5] Fiebat evocatio quum ad diversa loca diversi propter cogendos mittebantur exercitus. Serv. — Je pense que ce terme, *evocatio*, avait encore lieu lorsque, dans un besoin pressant, on rappelait au service les vétérans qui avaient reçu leur congé. *Lebeau*, p. 341.

[6] Quintil. VII, 3. Serv. in VIII Æneid. v. 1. Isid. Orig. l. IX.

[7] Cic. pro Cæcin. 34.

[8] Cicer. pro Balbo, 9.

buere primum Latini Italique, et exinde provinciales, postquam, exstincto bello sociali, pene totius Italiæ populi civitatem adepti sunt.

Provinciales autem, ut mos apud Romanos erat, in partes duo dividebantur : nempe fœderatos et dedititios. Fœderati vero et socii, ut pote qui libertate quadam beneficio populi Romani fruerentur [1], milites, quos præstabant, ipsi deligebant, et eorum duces constituebant, quibus omnem ad militiam sumptum dabant, et qui civibus suis rationem deferre solebant [2].

Dedititii autem aliter habebantur : eis enim milites imperabantur, quibus virtute civitatem adipisci licebat [3], sed cautum erat, ne in provincia militarent, et præcipue ad bella quæ in alia regione orbis terrarum gerebat populus Romanus conscribebantur [4]. Id enim commodi consuetudo illa conferebat, quod semper Romanis parebant dedititii, veluti viribus exhausti, et fortium virorum auxilio senatus, sine imperii periculo, utebatur [5].

Præterea quum opus esset, regum et populorum vicinorum, veluti populi Romani amicorum, copiæ in subsidium veniebant [6]: nam multi ante Augustum imperatores alienigenas in commilitium acciverunt, quum cæteris gentibus ut suis uterentur, et se nollent « externa virtute privari [7]. »

Hoc scilicet modo apud Romanos bellum comparabatur: sociis indicebatur militum numerus [8], stipendiariis imperabatur [9], opem pollicebantur amici reges ; civis autem quisque, præter ærarios, militiæ lege tenebatur, nullo ætatis aut valetudinis distinctu, quum juniores et validi plerumque, seniores et causarii aliquando in arma

[1] Libertate quam vos sociis dedistis. Cic. in Verrem. Act. II, lib. V, 43. Liv. XXII, 57.

[2] Cic. Ib. 24.

[3] Cic. pro Balbo, 18.

[4] Cic. pro Fonteio, 2.

[5] Id.

[6] Cic. pro Balbo, 14. Cæs. de Bell. civ. 1, 5.

[7] Cic. pro Balbo, 10.

[8] Tit. Liv. *passim.*

[9] Cic. pro Fonteio, 2.

cierentur, nec vicarium in sui locum subdere liceret.

Hoc autem institutum gentibus convenit quæ artem bellicam omnibus anteponunt, et cætera quum pro supervacaneis habent, tum prorsus negligunt, utpote quæ armis facile comparentur. Romani enim, neglectis doctrinis omnibus, hanc diu solam coluere, et in armorum exercitatione et agrorum cultura totum dedere animum [1]. Sed posteaquam, debellato Oriente, divitiæ et luxus et artes Græciæ in urbem pervaserunt, tunc derelictus est campus et rhetorum philosophorumque scholæ potiores habitæ, tunc mercatura et opificum artes cives submoverunt a bellicis exercitiis, et quod præcipuum apud veteres fuerat, post omnia in existimatione plerorumque habitum est. Quod non evenit ultimis libertatis temporibus, sed ferme in primis Romæ incrementis; flagrante enim bello Punico, quum adesset Annibal, cives jam adeo delectus pertæsum erat, ut, teste Livio, « supra duo millia eorum censores ex juniorum tabulis excerpserint, qui quadriennio non militassent [2]. » At vero post Punica et Macedonica bella totum per orbem diffusi cives Romani, ut opifices, mercatores, pecuarii et publicani [3], multiplicibus se negotiis innexuerunt, quum ratio delectus in eodem loco sedem, rusticam vitam et duros agri labores, et simul continuum armorum usum posceret.

Ipsa autem nova terrarum Italicarum conditio socialibus delectibus nocebat. Ager enim publicus, quum leges agrariæ paulatim, post tot tribunitias procellas, desuetudine antiquarentur, in Patrum et divitum manus per simulata vectigalia et continuam possessionem meavit. Ex hoc autem, lucri exitiosi causa, antiquos incolas depulerunt novi possessores, et in eorum locum servos induxerunt, aut arva in pascua verterunt. Quo factum est ut Italorum pars

[1] Veget. de Art. milit. I, 28, 3. Cf. *Lebeau*, XIIIe Mém. p. 246.
[2] Liv. XXIV, 18.
[3] Cic. pro Fonteio, I, 16.

magna, agris mulctati patriis, in urbem confluxerint, et sub usurpato civium nomine latentes, desidem plebem auxerint, quum cæteri delectui et omnibus Romanæ societatis muniis sufficere cogerentur. Hinc intolerabiles exactiones et oppressorum querelæ, et dein Sociale bellum[1]. Quo exacto, civitatem et nomen Romanorum adepti sunt socii, non tamen ademptas terras recuperare Italorum plerique potuerunt.

Hæc igitur multitudo, quam ab agris exegerant novi possessores, novas sedes et victum quæsivit; alii per provincias negotiandi, aut coactiones argentarias factitandi causa, constiterunt, alii transmigraverunt in illam otiosam venalemque urbis plebeculam, de qua jlocaliter postea dictum est: « Populo Romano saturo nec quicquam potest esse jucundius[2]. » Sed quum lege cautum esset ne darent nomina qui nihil proprii habentes, inter ærarios et capite censos annumerarentur, plebei illi novi nullam operam rei militari dabant, et dum cresceret Quiritum multitudo, non ideo delectus frequentabatur.

At vero ex tanto desidum numero et penuria bonorum, necessario evenit ut delectus immutaretur, et milites non tantum ex classibus, more majorum, sed, « uti cujusque lubido esset », scriberentur. Id autem primum a C. Mario factum, alii per ambitionem memorant, alii per necessitatem[3], quum « jam non plebi volenti militia putaretur[4]. » Quod ab illis qui post Marium rempublicam gerendam adierunt, usurpatum est, et exercitus faciem immutavit. Nam illi proletarii cives quibus nulla domi bona

[1] Appian. de Bell. Civil. I, 7, 8.

[2] Vopisc. Aurelian.

[3] Sallust. Jugurth. 86. Ipse interea milites scribere, non more majorum, neque ex classibus, sed uti cujusque lubido erat, capite censos plerosque.

[4] Quia, neque plebi militia volenti putabatur. Sallust. Jugurth. 84. Florus III, c. 1. Aul. Gell. XVI, 10. Cf. *Lebeau*, 1er Mémoire sur la légion, pag. 468.

spes erat, toto animo se in militiam immiserunt, nec jam publicis sed privatis commodis vitam impendebant. Tunc antiquæ illius Quiritum appellationis, quasi contumeliæ, puduit, et mox ita patriæ immemores facti sunt, ut duces, quorum in manu erant, reipublicæ anteponerent. Hi enimvero « in prædam ducebant »[1] et post stipendia in agris municipalium aut provincialium, hanc sceleratam militiam emeritos collocabant.

Sic civitatis arbitrium penes paucos erat et illorum penes milites, qui semper « non pro spe meritorum tractari querebantur[2], » et per imperatores libertatem opprimebant, ut imperatores ipsos haberent obnoxios.

Non erat is populus, quem pax tranquilla juvaret,
Quem sua libertas immotis pasceret armis.
Inde iræ faciles, et quod suasisset egestas
Vile nefas, magnumque decus ferroque petendum
Plus patria potuisse sua, mensuraque juris
Vis erat[3].

[1] Lucan.
[2] Sueton. Aug. 13.
[3] Lucan. Pharsal. I, v. 171.

PARS SECUNDA.

DE DELECTU POST ACTIACAM PUGNAM.

Postquam, interfecto Antonio, rerum potitus est, sub Augusti nomine, Cæsar Octavianus, in delectu militum nihil immutare et antiquum morem servare visus est. Cives enim, ut olim, ad sacramentum adigebantur, evocabantur veterani, sociis et stipendiariis milites imperabantur; alia res legio, alia auxilium erat. Attamen, retentis veteribus vocabulis et formulis, magna facta erat commutatio rerum. Nonnulla enim in re militari instituit Augustus quæ lenioribus principiis eversionem prisci delectus prætegerent. Nam armorum et rei bellicæ usum Italis detraxit ne seditiones et bella excitarent, et legiones ad fines imperii protulit; militesque semper in armis habuit, et eos, ut verbis Dionis Cassii utar, quasi *immortales* aluit.

(Στρατιώτας ἀθανάτους τρέφεσθαι.) [1] Quod tanti momenti erat, ut Græcus auctor Herodianus falsam sibi opinionem induxerit de romano exercitu, quem post Augustum, mercenarium (μισθόφορον) fuisse credat [2]. Non enim stipendium instituit Augustus, nec legiones extraneis sed civibus supplevit, et idcirco civili, non mercenario exercitu usus est.

Cæterum, quum legiones sub armis retineret, et eas exinde non amplius exauctoraret, tempori et necessitati consulebat. Nam ex quo, civilibus artibus antepositis, bellicas exercere domi desierunt Romani, non nisi imperiti tirones delectui respondebant, et sic conscriptorum veteranorum robur debilitabatur. Hoc autem præcellunt gentes, quæ exercitibus ex tempore contractis utuntur, ut cives omnes in delectibus nomina dent, quum pariter et junior, et senior, et tiro, et jam stipendia meritus, eisdem campi ludis ad bellum parati, eadem pericula adire possint. Sic antiqui viguere Romani, sic imperii crevere opes. Sed, ultimis Reipublicæ temporibus, cum tirones pariter inexercitati ad sacramentum adigerentur, non amplius viritim sed sortito eligebantur [3]; parvi enim intererat quis inter inertes legionibus annumeraretur. Necesse igitur erat milites ali, qui semper in armis essent, bellicasque artes assiduo exercerent, dum cæteri in pace et otio versarentur.

Augustus igitur legiones perpetuas habuit, et quamvis in hac re maxime novatum fuisset, vix animadverterunt latini scriptores. Moris enim apud antiquos erat, ut non prius exauctorarentur legiones, quam bellum confectum esset; tum demum exercitum duces dimittebant, quum imperium deponerent. Sed Augustus, posito triumviri nomine, imperatoriam nihilominus retinuit potestatem,

[1] Dion. Lib. LII. passim. Cf. *Lebeau*, 1er mémoire, pag. 468 et suiv.
[2] Herodian. II, 2.
[3] Appian. de Rebus Hispaniensib. 49.

et, ut loquitur Dio Cassius, nunquam arma deposuit (τὰ ὅπλα καταθέσθαι.)[1] Quum igitur imperator perpetuus esset, perpetui fuere exercitus.

Cæterum hoc erat in more positum institutoque Romanorum, ut, quum ob aliquam causam non dimitterentur legiones, delectibus supplerentur[2]. Quod usitatum fuerat in longinquis bellis et maxime inter civilia arma : tunc non conscribebantur novi exercitus, sed veteres tironum ope reparabantur. Post Actiacam autem pugnam supplementum, raro antea usurpatum, in vulgarem et constantem usum cecidit. Sic eadem vocabula rerum remanebant.

In hac re igitur, velut in cæteris, quoddam temperamentum novitati attulit Augustus, et quum Reipublicæ formas retineret, gliscens et paulatim insurgens dissimulavit imperium. Attamen ex hoc consilio nonnulla accesserunt incommoda : mortuo enim Augusto, multa fuit in futurum formido, quum, verso civitatis statu, nihil esset usquam prisci moris integrum et nihil novi stabilitum. Sic in re militari legiones ambigebant quænam futura esset post Augustum sua conditio[3], nec aliud putabant timoris sui levamentum quam si certis sub legibus militia iniretur[4]. Sed has leges Augustus et illi qui post eum regnavere constituere noluerunt, metuentes ne immaturius evulgaretur imperii arcanum.

Attamen, quamvis antiqua rei novæ nomina *imposita* fuissent, non fefellit posterorum sæculorum scriptores, maxime Græcos, quam multa immutata fuissent. Nam Dio Cassius, in illa copiosa de Republica constituenda oratione quam Mæcenati tribuit, eum omnia quæ confestim aut temporis successu constituerunt Imperatores suadentem inducit. Quasi novi status conditor omnem

[1] *Καίσαρος βουλευσαμένου τάτε ὅπλα καταθέσθαι.* Dion. lib. 41, p. 463.
[2] Liv. pass. Cf. *Lebeau*, Xe Mém. p. 343 et seq.
[3] Tac. Annal. I., 16.
[4] Id. Ib. 17.

imperatoriæ potestatis rationem excogitasset, et pleraque sequentibus Cæsaribus facienda consilio reliquisset. Inter hæc Mæcenas, aut potius Dio, rem maximi momenti ponit delectum, et nunquam dimittendos exercitus [1].

Mutata igitur ad eum modum re militari, castra stativa quibus hiemarent, habuerunt legiones[2], et plerumque habitis per easdem provincias, in quibus considebant, delectibus suppletæ sunt [3]. Sed nihil ex certis legibus, nihil constanter fiebat; delectus supplementaque ex tempore, prout Principibus libuisset, aut posceret necessitas, habebantur. Nec magis præfinitum erat quot milites, nec quibus in provinciis, scribendi essent; sed hæc omnia inconsulte et improvide fiebant. Quapropter delectus, aut potius veteris delectus species, « perpetui præcipuique timoris res [4] » videbatur, et « suapte natura gravis, » quum inordinate ageretur, molestior fiebat [5].

Francicæ leges de delectu, ut pote quæ militiæ onus in pauperes præcipue inclinent, haud dubie acerbæ sunt, sed hoc utilitatis et æquitatis habent, quod sciant juniores quo tempore et quomodo nomen militiæ sint daturi, et, postquam immunes sors aut redemptio reddiderit, satis pro patria et legibus fecerint, et vacationem a militia in futurum habeant. Longe aliter fiebat apud Romanos, quum ab Imperatoribus regerentur. Non enim, ante quinquagesimum annum, civis poterat omnem operam, belli immunis, artibus pacis tuto impendere [6]. Nostris autem legibus cunctæ imperii partes militiæ onus æqualiter sustinent, at impariter apud Romanos delectus exigebatur, et quum aliæ provinciæ per longum temporis spatium in alta pace degerent, et nullos tirones exhiberent [7], aliæ toto belli

[1] Dion. l. LI.

[2] Tac. Annal. III, 21.

[3] Proximas per provincias. Tac. A. XIII, 7. H. 35; Her. VI, 6 et 7.

[4] Vell. Patercul. II, 130.

[5] Tac. Hist. IV, 14.

[6] Lex a quinquagesimo anno militem non cogit. Sen. de Br. vit. 20.

[7] Tac. Annal. XIII, 35.

pondere gravabantur et delectibus exhauriebantur [1]. Neque hic addendum est a legatis et prætoribus sæpe corruptum fuisse delectum [2]; hoc enim hominum, non legum vitium est, et in omnibus civitatibus, et bene quidem ordinatis, accidit.

Nihilominus difficilius in dies delectus agebatur. Adolescentes enim multi sacramentum detrectabant [3], et, militiam recusantibus qui domi spem bonam haberent, conscribebatur ex civitatibus pessimus quisque, multitudo, ut ait Tacitus, « vernacula, lasciviæ sueta, et laborum intolerans [4]. »

Præterea multa, quæ, vigente Republica, fiebant, fieri nequiverunt. Illo enim tempore, dimissis legionibus, cives penatibus suis reddebantur, et domi, post legitima stipendia, magistratus ambibant. Sed postquam, finito bello, legiones in armis permanentes non Romam, sed ad castra stativa reducebantur [5], civilibus artibus et honoribus omnino privati fuerunt legionarii. Antiquatæ sunt igitur omnes leges de legitimo stipendio, Julia præsertim, per quam municipibus « post stipendia equo in legione tria, aut pedestria in legione sex [6], » petere et capere magistratus liceret. Nec veteranis spes erat civilia munera gerere, quum nulla lege provideretur, post quot annos mitterentur milites. Hinc illæ Pannonicorum aut Germanicorum exercituum querelæ, « *tricena* aut *quadragena* stipendia. »

Attamen patricii, qui tirocinium deponebant, non ut manipulares, sed ut præfecti tribunive [7], et sæpe ab Im-

[1] Spartian. in Hadriano, p. 6, C. J. Capitolin. in Marc. Ant. 27, C.
[2] Motus senatu et Pædius Blæsus, accusantibus Cyrenensibus..... delectum militarem pretio et ambitione corruptum. Tac. Ann. XIV, 18.
[3] Sueton. in August. 24. Arr. Menand. Digest. lib. XLIX, tit. XVI, l. 4.
[4] Tac. Annal. 1, 31.
[5] Tac. et Hist. August. passim.
[6] L. Juli. Municipal. ap. Egger. Latini sermon. Reliq. L., § 6.
[7] Tac. Agric. 5.

peratoribus equos, mulos, vestes, sumptus et omnem ornatum accipiebant [1], diu ad capessendos magistratus in urbem digredi potuerunt [2]. At temporis successu, a militia recesserunt patricii juvenes, et tandem Gallieni lege cautum fuit, ne aditus quidem castrorum senatoribus pateret [3].

Igitur longe alia fiebat militum atque civium vita, quum contra, florente Republica, confusa in unum esset utrorumque conditio. Cæterum novo rerum statu et usu primum dissociatos deinceps sejunxerunt ipsæ leges. Necesse enim erat compleri legiones et simul geri municipalia munera. Quo factum est, ut cives quasi dividerentur inter militiam et civitates, nam præfiniendum fuit, qui nomen legionibus dare possent, qui in municipiis ad subeundum honorum onus remanere deberent [4]. Et sic, gliscente paulatim malo, omnia vertebantur, et proletarii, qui priscis temporibus ad sacramentum non vocabantur, nunc, post libertatem eversam, soli fere militabant, divites enim muniorum et honorum civilium onus sustinebant. Hinc illa odia paganorum militumque [5], et caligæ privilegia et hæc omnia quæ in illa de militum prærogativis satira, Juvenali temere tributa, collaudantur [6].

Ex hoc igitur quod Augustus perpetuas legiones fecisset, adeo novatum fuit in re militari.

Tumultuarius etiam delectus, quem *evocationem*, sive conjurationem, nominabant prisci Romani [7], periclitan-

[1] Spart. in Hadrian. pag. 8, D.

[2] Tac. Agric. 6.

[3] Lætum militibus idem nomen, atque ipsum, quanquam senatorii ordinis, ad utraque munia sufficere. Tac. Hist. IV, 68.

[4] Ulpian. Digest. L, tit. IV, l. 3, § 1; l. 4, § 3. Cod. lib. X, tit. XXXI, l. 17.

[5] Tac. Hist. II, 88.

[6] Juven. Sat. XVI.

[7] Tit. Liv. XXII, 38. Cæs. de Bello Gallico VII, 1. Cic. ad Herenn.

tium civitatum spes extrema, haberi post Augustum non potuit. Evocatio enim, quippe quæ in arma civem quemque invitet, exercitos requirit homines et strenuam plebem, præsertim quum virtute et arte, sicut apud antiquos, agatur. Sed Augustus Romam et Italiam, et senatorias provincias armis exuerat[1]: quum igitur in periculum adduceretur vel imperium, vel Princeps, conjuratio fieri non poterat, aut inane nomen erat. Post Varianam cladem Augustus[2], quum imminerent Flaviani, Vitellius[3] morem priscum et jam diu intermissum revocare conati sunt; ille « lasciviæ suetam et laborum intolerantem conscripsit multitudinem »[4], hic plebi ludibrio habitus est.

Permansit tamen evocationis usus, sed in imperatoriis tantummodo provinciis, ut pote quæ armatæ essent, et tumultuariis auxiliis hostem propulsare possent[5].

Delectus etiam fere obsolevit, Romæ præsertim. Multum enim timoris et seditionis afferebat[6], quum multi qui vel civilibus negotiis implicarentur, vel socordia voluptatibusque tenerentur, militiam detrectarent. Quos Augustus ex priscis legibus ipsos bonaque eorum hastæ subjecit[7], et constitutiones Imperatorum, qui severissime disciplinam regebant, duris pœnis mulctaverunt[8]. Sed prudentes Principes, ne turbas moverent, legionum supplementum, « sine trepidatione delectus », ut loquitur Velleius, providebant[9]. Ob eam rem veteranos non mitte-

[1] Herodian. lib. II, 11.
[2] Suet. Aug. 25.
[3] Tac. Hist. III, 58. Suet. Vitell. 15.
[4] Tac. Annal. I, 31.
[5] Tac. Hist. IV, 20, et passim. Tumultuariis auxiliis provincialium. Spartian. in Did. Julian. pag. 60.
[6] Vell. II, 130.
[7] Suet. Aug. 25.
[8] Digest. lib. XLIX, tit. XVI, l. 4.
[9] Quanta cum quiete hominum, rem perpetui præcipuique timoris, supplementum, sine trepidatione delectus, providet. Vell. II, 130.

bant[1], voluntarios milites conscribebant[2], aut in pace inania relinquebant legionum nomina[3]. Hoc modo « cum magna quiete hominum », numeri supplebantur. Delectus igitur nonnisi belli tempore, aut in pace tantum ab imprudentibus Imperatoribus exigebatur. Quum vero habendus esset, sæpissime necesse erat in provincias proficisceretur Princeps, et ipse tirones requireret[4]. Nam Romana res in id discrimen adducta erat, ut vel acerbis delectibus perturbaretur et exhauriretur Imperium[5], vel unice « inopes et vagi », et iidem pauci, « sponte militiam sumerent[6]. » Et paulatim, quum in dies mores depravarentur, recessum est ab antiquis pœnis, « *in illos proditores libertatis*[7] », qui non ad delectum responderent, decretis. Præterea quoniam usitatum erat ut legiones voluntario milite supplerentur, consentaneum erat, ut vicarium exhibere, quod legibus moribusve antea concessum fuisse non videtur, requisitos ad sacramentum juvenis posset[8]. Militia etiam, quæ civile quondam munus erat, servis patuit, non quidem ex jure, sed ex perverso usu male legibus compresso. Sæpe enim ultro nomina dabant, aut *probatorum* fraude eligebantur, aut a dominis ut vicarii exhibebantur[9]. Probatores autem erant officia

[1] Multitudinem veteranorum prætexebat imperator. Tac. Annal. IV, 4; I, 78.

[2] Voluntarium militem deesse. Ib.

[3] Tac. Annal. III, 40.

[4] Tac. Annal. IV. 4. Spartian. in Hadrian. p. 6. C.

[5] Delectibus ubique acerbissime actis. Suet. C. Calig. 43.

[6] Tac. Annal. IV. 4.

[7] Digest. XLIX. tit. XVI. l. 4. § 10.

[8] Plin. Epist. lib. X, ep. 39. Quelques critiques ont douté si dès le temps de la République, on ne s'exemptait pas de la milice, en donnant un homme à sa place; ils n'ont, pour fonder ce soupçon, d'autre preuve que les paroles de Sp. Ligustinus. Tit.-Liv. XLII, 34. *Lebeau*, XI[e] mémoire, tom. XXXV, pag. 221.

[9] Refert autem, voluntarii se obtulerint, an lecti sint, vel etiam vicarii dati. Plin. Ib.

ab Imperatoribus instituta, quæ militum probandi jus haberent [1] : de quibus infra dicetur amplius.

At vero milites cum tanta cura quæsitos et tam diu sub vexillis retentos, maxima cum diligentia, cavebant Imperatores ne perderent. Privilegiis enim innumeris eos donabant, summa observantia colebant [2], dimissos in agris collocabant [3], et omnibus civitatum muneribus eximebant [4]. Quod non faciebat quominus multi signa desererent, aut e castris exeuntes per agros et provincias vagarentur [5]. Quamobrem sanxerunt Imperatores multas leges de desertoribus, et aliquando atrociter sævitum est, aliquando nimium faciliter indultum. Attamen nec severitate, nec indulgentia deterrebantur milites ne fugerent, quapropter eorum manum stigmate notari placuit, ut charactere inusto facilius dignoscerentur [6].

Hæc omnia de delectu legionum diximus, sed non his copiis tantum defensum erat imperium Romanum : nam civili robori legionum auxilia provincialium, et milites a sociis regibus populisque missi, accedebant.

Legiones nonnisi raro exauctorabantur, et primo viginti quinque fuerunt numero, sed tempore Severorum et Dionis historici solæ undeviginti remanebant [7]. In pace raro supplebantur, et inania erant earum nomina, nam vaca-

[1] Ib.; Cod. XII, tit. 34, l. 1. Si militiæ nomen dare vultis, offerte vos his qui probandi jus habent.

[2] Ægrotantes ipse visitavit per tentoria milites, etc. Lamprid. in Alex. Sev. p. 130, L.

[3] Tac. Annal. XIV, 27 et 31. Agr. 14.

[4] Hos qui militaribus nituntur prærogativis. Lamprid. Alex. p. 119, A. Cf. Codic. de Veteranis.

[5] Nunquam passus de castris aliquem injuste abesse. Spartian. Hadrian. p. 5. D. Idem multis desertoribus manus excidit, aliis crura incidit et poplitas. Vulcat. Gallic. in Avid. Cass. p. 41. Cf. Codices de desertoribus.

[6] Veget. de re militari lib. 1, cap. 8.

[7] Dion. LV, p. 564.

tiones munerum [1], commeatus, beneficia [2], missiones, desertiones mortesque in parvum *munificum* numerum omnia onera militiæ inclinabant.

Itaque post longam pacem veteranis tantum constabant legiones, et quidem inexercitatis, qui plerumque « non » stationem, non vigilias inissent, vallum et fossam quasi » nova, et mira viserent [3]. » Prima igitur belli cura acerbissimos festinare ad supplendum exercitum delectus, et revocare veteranos [4]. Non in Italia actos fuisse, post conditum Principatum, delectus existimant multi scriptores [5], sed errant in quibusdam verbis Herodiani [6], qui ipsemet de delectibus per illam regionem habitis loquitur [7]. Præterea cæteri scriptores et inscriptiones a Grutero collectæ conscriptos fuisse sæpenumero in Italia tirones monstrant [8]. Non est tamen dubium quin regiones aliæ probatiores exhiberent milites; nam Hispania et Galliæ primis Imperii sæculis, Illyricum, Pannonia et Thracia ultimis, quasi militum seminaria fuerunt. Quæ proximæ Barbaris armorum usum habuisse videntur, ut, si necessitas posceret, tumultuariis earum copiis hostes repellerentur [9].

At plerumqne legiones supplebantur tirone in eadem provincia, in qua considebant, aut in proximis, conscripto [10]: sed, si opus esset extenuatum exercitum sine mora

[1] Per latrocinia et raptus aut servilibus ministeriis otium redimebant. Tac. Hist. I, 46, 52. Annal. I, 17, 25.

[2] Festus, verb. Beneficiarius.

[3] Tac. Annal. XIII, 35.

[4] Tac. Hist. II, 82.

[5] Inter quos *Lebeau*.

[6] Ἰταλιώτας μὲν πόνων ἀνέπαυσε καὶ τῶν ὅπλων ἐγύμνωσε. Herod. II, 11.

[7] Ἐκ τε τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν πόλεων νεανίας μεταπεμπόμενος καὶ στρατεύων. Herod. II, 14.

[8] Gruter. p. 434, I, p. 130, I.

[9] Tac. pass. Castelli quod olim Helvetii suis militibus ac stipendiis tuebantur. Tac. Hist. I, 67. Ipsorum Rætorum juventus, sueta armis, et more militiæ exercita, I, 68.

[10] Vid. supra.

nii et Trajani liquet, *beneficiarios*[1]. Plerisque vero provinciis mos erat ut per publicos servos asservarentur publicæ custodiæ[2].

At Romæ alebantur urbanæ cohortes quæ cum prætorianis pacem tuerentur, et insuper, sed rarissime « incendiorum causa, et si tumultus in graviore annona metueretur, fiebant servitiorum delectus[3]; » itaque allevatum erat militum munus.

Omnem hanc delectus rationem haud multum mutaverunt, qui post Augustum regnavere, sed quibusdam institutis temperaverunt. Edixit Tiberius ut vicesimo militiæ anno veterani dimitterentur, et « male consulta seditionis, quibus Pannonici milites sexdecim stipendiorum finem expresserant, » abolevit[4]. Sed Tiberii lex raro observata est, et sæpenumero post vicesimum annum emeriti sub vexillis retenti sunt[5]. *Imaginariæ* vero militiæ genus, quod vocabatur supra numerum, quo absentes, et titulo tenus fungerentur, instituit Claudius[6]. Vitellius autem amputavit legionum auxiliorumque numerum, supplementa vetuit, promiscuas missiones obtulit, et omnem militiam convellit[7]. Sed Hadrianus labantem disciplinam incuria superiorum Principum restituit, omnibus rebus ex veteri more ordinatis. Providit enim « ne quis aut minor quam » virtus posceret, aut major quam pateretur humanitas, in » castris versaretur, egitque, » quod non antea observatum videtur, « ut sibi semper milites noti essent, et eorum numerus sciretur[8]. » Quo exemplo usus Alexander in cu-

[1] Plin. lib. X, Ep. 36 et 37. Cf. Ruinart. Act. sincera, in act. Fructuosi et Agap.
[2] Id. Ep. 30 et 31.
[3] Suet. August. 26.
[4] Tac. Annal. I, 78.
[5] Cf. Grut. Inscript. milit.
[6] Suet. Claud. 25. Cf. Non. ex Varron. in optiones.
[7] Tac. Hist. II, 94.
[8] Spartian. Hadrian. p. 5, D.

biculo habebat, ut ait Lampridius, « *breves* et numerum et tempora militantium [1]. »

Sic legibus militum status certioribus in dies ordinabatur, sed nihil funditus renovatum est ante Diocletianum et Constantinum. Attamen longinquitate temporis multa immutata sunt. Inter cætera plebs Romana, et postea magnarum urbium incolæ, tirones exhibere propemodum desierunt. Delectum autem habere frustra conati sunt Nero et Vitellius [2], et in Panegyrico Plinius vana spe deluditur, quum de quinque millibus ingenuorum quos liberalitas Principis nutriebat, dicit : « Hi subsidium bellorum, ornamentum pacis, publicis sumptibus aluntur, patriamque non ut patriam tantum, verum ut altricem amare condiscunt. Ex his castra, ex his tribus replebuntur, ex his quandoque nascentur quibus alimentis opus non sit [3]. »

Ex his nati sunt non dispares liberi, quos aluit patria, quos non castra viderunt, ignava et iners multitudo, cui Principes omnes dicere potuissent quod Aurelianus : « Vacate ludis, vacate circensibus, nos publicæ necessitates teneant, vos occupent voluptates [4]. »

Populi Regis ad exemplum componebatur magnarum metropolium plebes. Carthaginiensibus enim, Alexandrinis, Antiochensibusque desuetus erat usus armorum et raro ex eis delectus exigebatur [5].

Id quoque magni ad delectum interfuit, quod jus civitatis cunctis Provincialibus a Caracalla datum est, nam deinceps omnes Imperii incolæ, dummodo ingenui forent, legionaria stipendia mereri poterant. Permansit tamen inter legiones et Auxilia priscum discrimen. « Auxiliares, » ut refert Vegetius, « conducuntur ad prælium, ex diversis

[1] Lamprid. Alexand. 120, E.
[2] Suet. Neron. 44. Tac. Hist. III, 58.
[3] Plin. Jun. Panegyr. 28.
[4] Vopisc. Aurelian.
[5] Herodian. VII, 9; IV, 9; III, 1.

» locis, ex diversis numeris venientes... Alia instituta, alius » inter eos est usus armorum..... Legio autem propriis co- » hortibus plena, quum gravem armaturam, hoc est, prin- » cipes, hastatos, triarios, antesignanos; item levem arma- » turam, hoc est, ferentarios, sagittarios, funditores, bal- » listarios, quum proprios et sibi insitos equites legionarios » iisdem matriculis teneat; cum uno animo, parique con- » sensu castra muniat, aciem instruat, prælium gerat; ex » omni parte perfecta; nullo extrinseco indigens adiu- » mento; quantamlibet hostium multitudinem superare » consuerat[1]. »

Post constitutionem Caracallæ, in Auxiliis nomina dederunt Barbari, qui in commilitium singuli adsciti erant[2]: multi tamen cives qui in legionibus conscribi potuissent, « in auxiliaribus numeris, severiorem majoris militiæ dis- » ciplinam vitantes, sacramenta percipere festinabant, ubi » et minor sudor et maturiora erant præmia[3]. » Itaque, quamvis civium crevisset numerus, legiones magis ac magis exhauriebantur.

Cæterum non tantum mollitie et socordia laborabat imperium, sed etiam aliis causis exercitus debilitatum fuit. Nam cum omnis barbaries in Romanos impetum faceret, per trecentos annos, non pro gloria, sed pro salute continuo pugnatum est; si pacaretur Oriens, bello flagrabat Occidens, et quæ Persas vicissent, iisdem legionibus Germanus propulsandus erat. De Romani cujusdam ducis virtutibus prædicans, Drepanius Pacatus his verbis utitur: « Quid inquam faciam? Quæ Rhenus aut Vahalis vidit, » aggrediar? Jam Sarmatica cæde sanguineus Ister objiciet. » Attritam pedestribus præliis Bataviam referam. Saxo con- » sumptus bellis navalibus offeretur. Redactum ad paludes » suas Scotum loquar? Compulsus in solitudines avias omnis

[1] Veget. II, 2.
[2] Lamprid. Alexand. p. 134.
[3] Veget. II, 3.

» Alamannus et uterque Maurus occurrent[1]. » Projiciamus autem ampullas, hoc omnes numeros veritatis habet, Sarmatas, Batavos, Saxones, Scotos, Alamannos et Mauros ab eodem duce devictos fuisse. Per tot igitur cruentos labores exhauriebantur legiones, et sive vincerent, sive vincerentur, robur earum infractum erat, et in pace non nisi inanes earum matriculæ remanebant. Adde hostium incursus, vastatasque usque ad internecionem provincias: Adde servitutem et alteram partem humani generis alteri famulantem, omni jure commercii et connubii privatam, et a militia detrusam. His autem malis accedebat, ut prædiximus, civilis ac militaris vitæ discrimen. Civis enim obnoxius muneribus municipalibus nomen militiæ profiteri non poterat, et e contrario his qui castris operam dabant, nullum injungi poterat municipale munus. Quæ non solum Theodosianus codex, sed etiam Ulpianus, et Arrius Menander, medii Imperii jurisconsulti, confirmant[2].

Præterea Christiani, quorum numerus magis in dies amplificabatur, diu militiam detrectavisse videntur, sive a sanguine abhorrebant, seu corruptos militum mores detestabantur, sive potius timebant ne sacra alieni cultus, si in castris versarentur, semper in oculis haberent, et quotidiana invisarum religionum contrectatione quasi contaminarentur[3].

Itaque ignavia civium, provinciarum populatione, bellis continuis, servitute, municipalibus legibus, christianaque fide exercitus exhauriebatur. Cujus quam fuerint in pace attritæ vires monstrant hæc Taciti verba; « *inania legionum nomina* »[4] et Vegetii descriptio; ait enim : « Contu-

[1] Drep. Lat. Panegyr. V.

[2] Digest. lib. XLIX, tit. XVI de Re militari.

[3] Si talis est conditio militantium, ut diis et imperatoribus sacra facere compellantur; ecce projicio vitem et cingulum, renuncio signis et militare recuso. Act. Martyr. Sinc. p. 352. Cf. Concil. Nicæn. Can. 12. *Lebeau*, XI[e] mémoire.

[4] Tac. Hist. IV, 14.

» bernalibus, completis stipendiis, per testimoniales ex » more dimissis, non sunt alii substituti. Præterea necesse » est, morbo aliquantos debilitari atque dimitti, aliquantos » deserere vel diversis casibus interire; ut nisi annis sin- » gulis, immo singulis pene mensibus in decedentium » locum juniorum turba succedat, quamvis copiosus ex- » hauriatur exercitus.[1] » Quanta cum difficultate maximis in periculis delectus habitus fuerit, probant hæc Jul. Capitolini in vita M. Aurelii verba : « Servos, quemadmodum » bello Punico factum fuerat, ad militiam paravit, quos » Voluntarios exemplo Volonum appellavit. Armatos etiam » gladiatores Obsequentes appellavit. Latrones etiam Dal- » matiæ atque Dardaniæ milites fecit. Armavit et Diocmi- » tas. Emit et Germanorum auxilia contra Germanos. [2] »

Continuis autem bellis attenuatas Imperii vires renovare Principes conati sunt. Exemplum enim ab antiquis usurpatum revocantes, Barbaros in suis provinciis collocaverunt. M. Aurelius devictis Marcomannis terras dedit in Pannonia, Dacia, Germania, Mœsia, ipsaque Italia, non quidem paucis, nam Capitolinus infinitos fuisse scripsit [3]. Quod imitati esse videntur sequentes Imperatores. Alexander vero rem novam instituit, agros et milites limitaneos, de quibus sic loquitur Lampridius : « Sola quæ de » hostibus capta sunt, limitaneis militibus et ducibus do- » navit, ita ut eorum ita essent, si hæredes illorum mili- » tarent, nec unquam ad privatos pertinerent, dicens, » attentius eos militaturos si etiam sua rura defenderent. » Addidit sane his animalia et servos, ut possent colere » quod exceperant, ne per inopiam hominum, vel per » senectutem possidentium desererentur rura vicina Bar- » bariæ : quod turpissimum ille ducebat [4]. »

[1] Veget. II, 3.
[2] Jul. Capit. M. Antonin. p. 31, C, D.
[3] Dion. ex Theod. lib. LXXI, p. 809 et 810, 807. Jul. Capitolin. p. 32, D.
[4] Lamprid. Alexand. p. 134.

Post Alexandrum Probus alio remedio usus est: in Isauria veteranos collocavit, ea conditione ut eorum filii ab anno octavo decimo ad militiam mitterentur [1]; et postea omnes veteranorum filios eadem lex tenuit.

Attamen, quamvis hæc omnia instituissent Imperatores, tantæ molis erat tirones cogere, ut Probus divinam appellet Providentiam, quæ exercitus Romanos *fæcundare* possit [2]. Cum solæ Imperii vires non sufficerent, ad Barbarorum auxilia descendere necesse fuit. Mos autem erat antiquus socios ad arma vocare, sed regnantibus Imperatoribus ita invaluit, ut ducibus laudi esset pugnare « citra » Romanum sanguinem [3] », et Galli Florus et Sacrovir, Tiberii tempore, dicere potuerint; « nihil validum esse » in exercitibus nisi quod externum [4]. » Sed in legionibus nunquam sacramenta perceperant Barbari, et tantum auxiliis Rempublicam juverant; singuli tamen, civitate accepta, in legionibus stipendia mereri potuerant. Imperator autem M. Aurelius totis gentibus civitatem donavit, ut exhaustas repararet Imperii vires [5]. Caracalla Barbaros armavit et ornavit militaribus honoribus [6]. Probus deinceps accepit ex eis sedecim millia tironum et numeris interseruit, sapiens et providus Princeps qui diceret: « Sentiendum esse non videndum, quum auxiliaribus bar- » baris Romanus juvaretur [7]. »

Omnia illa paulatim juris militaris normam mutaverunt, ita ut delectus et supplementum res perardui et operosi laboris essent. Omnia enim incondita erant: rara supplementa, rariores et acerbissimi delectus; provinciæ quædam oneratæ, quædam immunes, admissi in legiones et

[1] Vopisc. Prob. 239.
[2] Id. ib.
[3] Tac. Agric. 35.
[4] Tac. Annal. III, 40.
[5] Dion. ex Theod. lib. LXXI, p. 809, D.
[6] Dion. Fragment. lib. LXXVIII, p. 891, A, B.
[7] Vopisc. Prob. 238 et 239.

auxilia promiscue cives et Barbari, adscita ad militiam servitia, aut castris expulsa, prout potentibus libuisset.

Tandem Diocletianus et Constantinus, quum omnem Reipublicæ statum corrigerent, militiam quoque attigerunt et novas delectus leges instituerunt. Quas Vegetius et Codex Theodosianus in lucem proferunt.

Antequam novum delectum sanciret Diocletianus, ad hunc modum complebatur Romanus exercitus. Aut imperatoris ministri provinciales in conventum vocabant, et idoneos tirones ad sacramenta adigebant, quod proprie dicebatur delectus; sed ex Menandro scimus raro delectibus suppletas fuisse legiones[1]. Aut nomen profitebantur sive voluntarii, sive limitaneorum militum et veteranorum filii. His accedebant juniores a sociis exhibiti, et Barbarorum Fœderatorum cohortes. Quæ jam bene multæ erant et sub propriis ducibus militabant.

[1] Quia plerumque voluntario milite numeri supplentur. Ar. Men. l. laud.

PARS TERTIA.

DE TIRONUM COLLATIONE ET EXERCITUS SUPPLEMENTO POST IMP. DIOCLETIANUM.

Initio rerum Romanarum pars erat civilis officii militia, et ea duntaxat immunes erant, qui, quum nihil proprii possiderent, fere nullius pretii in Republica erant et tantum capite et prole censebantur. Hoc institutum a Mario primum mutatum fuit, qui proletarios conscripsit, et conjuncta est cum hac mutatione Reipublicæ pernicies.

Legio enim non fuit amplius civilis exercitus, sed patriæ exinde quasi alienus, et quum omnia non ad publicam sed ad suam utilitatem referret, suis ducibus pronior. Hinc tot fuere in civitate partes, quot Imperatores, et translatis, ut ita dicam, in castra foro et comitiis, post tribunitias procellas arma civilia Rempublicam exagitaverunt. Tunc autem, ut profitetur Tacitus, « omnem potes-» tatem ad unum conferri pacis interfuit[1]. »

Postea vero magis ac magis in dies invaluit inter civi-

[1] Tac. Hist. I, 1.

lem et militarem vitam discrimen, præsertim quum novis Augusti legibus augeretur. Nihilominus, ut antea diximus, permansit veteris delectus forma, et quamvis ad artes pacis verterentur cives et omnino armorum usui et campestri exercitio valedixissent, omnes, ut olim, militiæ obnoxii fuerunt. Quum jus et mos ita inter se pugnarent, effectum est, ut ægerrime suppleretur exercitus. Ut huic malo occurrerent, nonnulla tentaverunt Principes, quæ temporis processu invaluerunt, et delectum, jam adeo impeditum, novis difficultatibus implicuerunt.

Hoc modo se res habebat, quum Diocletianus, post Numeriani mortem, regno potitus est. Cæteri autem Principes, Augusti vestigiis insistentes, quod in antiquis moribus præsenti rerum statui non congrueret, tacitis correxerant temperamentis. Sed Diocletiano aliter visum est: non enim jam dissimulanter egit, sed palam et aperte, ut pote *qui* studia æqualium suorum in antiquos mores parvi penderet. Quod enim cum dubitatione tentaverant priores Principes, confecit, et omnia, quæ veteris libertatis memoriam revocarent, ut seditiosa diremit. Tandem, exuta dissimulatione, species Principatus in Regnum conversa est, et diademate, quod C. Caligula, demens ille Imperator, sumere voluerat, caput cinxerunt post Diocletianum Principes [1].

Qui, quum omnem Reipublicæ statum emendaret, priscas delectus leges, ut obsoletas et novis moribus contrarias, mutare aggressus est. Hoc enim delectus veteris fundamentum erat, quod omnes cives, dummodo idonei ætate forent, nomen profiteri deberent, quum illos consul aliusve magistratus viritim eligeret. Sed quomodo delectus haberi poterat, quum fere omnes possessores municipalibus honoribus devincti tenerentur [2], et fere omnes rustici « ita » glebis inhærerent, ut ne puncto quidem temporis debe-

[1] Suet. C. Caligul. 22.
[2] Cod. Th. et Justin. de Decurionib. passim.

» rent amoveri [1] », et præterea plebs urbana a magistris doctrinæ militaris parum apta militiæ prædicaretur [2]. Cæterum delectum adeo obsoleverat, ut, continua detrectatione quasi fessi, vix a sacramentum aspernantibus Principes pœnas repeterent [3]. Scilicet a voluntariis, et veteranorum militumque limitaneorum filiis, numeri supplebantur. Sed quum hæc omnia infra jacerent justi exercitus speciem, necesse erat ad Barbarorum tirocinia perfugere. In tali igitur rerum discrimine, Diocletianus hoc solum periculi levamentum invenit, ut omnem rationem supplendi exercitus renovaret. Etsi enim novum tirocinii modum Constantino tribuant plerique scriptores, attamen ex quibusdam Lactantii verbis conjicere licet, Diocletianum hujus consilii auctorem exstitisse [4]. Cæterum novus diligendorum tironum modus, a Diocletiano utique inchoatus, a Constantino, qui omnia ab eo incepta opera persecutus est, perfici potuit. Quum tamen temporum injuria fere omnia rerum a Diocletiano gestarum monumenta deleta sint, multa quæ reipsa adinvenit et instituit ille, ut loquitur Lactantius, novarum rerum machinator [5], ad Constantinum relata sunt.

Delectum autem quum sive Diocletianus, sive Constantinus emendarent, ex illa opinione profecti sunt, scilicet tirocinium loco vectigalis haberi posse; quæ quamvis nova esse et ab antiquo Reipublicæ more abhorrere videatur, Romana admodum opinio est. Nam quum virtute et consilio innumeras provincias comparavissent Romani, non ex æquo et bono devictos habuerunt; sed in orbis famulatu, omnium populorum bona et operam, quæ servorum mos est tribuere dominis, sua existimabant. Omnem vero

[1] Cod. XI, tit. XLVII, l. 15.
[2] Veget. I, 3.
[3] Ar. Menand. Dig. XLIX, tit. XV, l. 4.
[4] Lactant. de Mortib. Persecut. 7.
[5] Ib.

hanc agendi rationem in orationibus pro Balbo, et Fonteio habitis in lucem profert Cicero, non tectis verbis, sed aperte et fidenter, ut pote quæ nihil dubitationis habeat. Ex quo fiebat ut Provincias stipendiarias Romani vocarent; in stipendii autem nomine non tantummodo vectigal, annonam, commeatus, equos, mulos, militarem vestem, sed etiam tirones complectebantur[1]. Quæ omnia uno verbo significabant deditiiis *imperari*[2]; nec quum de his loquerentur, quibuscum societate amicitiaque juncti essent, verbi asperitatem mitigabant[3], nam Romani sub societatis nomine et umbra fœderis non æquationem juris[4] libertatemque amicis populis tribuebant, sed leges et servitutem imponebant. Atqui eadem ratione ac provincias senatus, omne imperium habuit Diocletianus, et exceptis Romæ incolis, qui, ob æternæ civitatis magnitudinem et tantæ laudis memoriam, a tributis immunes erant[5], Imperatori, in quem populi potestas Regia lege concesserat, cives omnes vectigalia perpensuros esse duxit. Quo nihil justius erat, quoniam, sublatis et antiquatis fœderibus veteribus, omnes provincias in summa juris et servitii æqualitate Principes posuerant. Italia enim, quæ bellorum particeps et quasi Imperii consors cum Romanis fuerat, sicuti cæteræ regiones, in figuris notitiæ dignitatum adjunctis, sub imagine mulieris vasa aureis plena gerentis depingitur[6].

Delectus itaque non amplius ut civile officium, sed ut vectigal habitus est, et quum naturam mutasset, sic etiam

[1] Quod si Afris, si Sardis, si Hispanis, agris stipendioque mulctatis, virtute adipisci licet civitatem. Cic. pro Balbo, 41.

[2] Magnos equitatus,..... magnas pecunias ad eorum stipendium, maximum frumenti numerum... imperavit. Id. pro Fonteio, 3; Cæs. de B. Civ. I. 4.

[3] Absisterent imperare iis quorum auxilio egerent. Liv. VII. 25.

[4] Si societas æquatio juris est. Liv. VIII. 4.

[5] Cod. lib. XI, tit. XLVIII. Valentin. III, Inter Novell. Theodosii, XL.

[6] Not. Dignit. Imp. Occid. Insign. V. Ill. Pr. Præt. per Italias.

nomen priscum perdidit[1]. Nam cum a Principe juberetur; *inditio* et quum a subjectis toleraretur, *collatio* vocabatur[2]. Fuit enim *tironum collatio*, velut erat collatio annonæ, vestis militaris, capitationisque.

Præterea usu compertum, et « a doctissimis hominibus » comprobatum erat, » non in omnibus provinciis æque strenuos nasci milites. Sic enim loquitur in libro de Arte militari Vegetius : « Omnes nationes quæ vicinæ sunt soli, » nimio calore siccatæ, amplius quidem sapiunt, sed mi» nus sanguinis habent : ac propter ea constantiam ac fidu» ciam cominus non habent pugnandi, quia metuunt vul» nera, qui se exiguum sanguinem habere noverunt[3]. » Contemnent autem, ut libuerit, illam interpretationem naturæ periti, hoc tamen constat viribus præstantiores fuisse Occidentales quam Orientales exercitus[4]. Itaque, quum Asiaticæ provinciæ deterrimos milites exhiberent, illis nulli tirones, præter sagittarios[5], indicti fuerunt. Sed pecunia juniores, quos non dabant, compensabant, et hinc fiebat, ut imperium in duas partes divideretur, quarum altera *opportunas* regiones contineret, quæ *corpora tironum* præbere possent, altera inopportunas, quæ pro tironibus, quos non exhiberent, aurum inferre deberent[6].

Præter hanc provinciarum divisionem, quum in opportunis regionibus nonnulli collatores (ut ipso Codicis verbo utar) impares essent *junioris præbitioni*, eis concessum fuit pecuniam in illius locum suppeditare. Initio scilicet *formale* tironis pretium, a quibusdam Provincia-

[1] Permansit tamen in usu vetus verbum, ut videmus in Vegetio et Codice.

[2] Cod. Theod. tit. de tironib. passim.

[3] Lib. 1, cap. 2.

[4] Dion. ex Xiphil. lib. LXXI, p. 811, E.; Dion. lib. LXXV, p. 856, A.

[5] Herodian. VI, 7, n° 18.

[6] Cod. Theod. VIII, tit. XIII, l. 9.

libus constitutum erat. Quod munus, *Prototypia* vocatum [1], quum sordidum, ut leges loquuntur, haberetur, « atque ideo a senatoriis domibus submovendum [2]; » gerebatur a Curialibus. Illi autem æstimabant quanti constaret « advenarum coemptio juniorum, » et collatores ab eis constitutum pretium solvere cogebantur [3]. At vero post Dioclетianum senserunt Imperatores omnia hujus instituti incommoda. Depascebatur enim, ut turgide dicit Valens, « prototypiæ munus interna provinciarum: » itaque ut « ab imis radicibus erueretur » sanxerunt, et quamdam novam « facilitatem commoditatemque exigendi » instituerunt [4]. Valentis enim lege jussum fuit collatorem, cujus « possessio ita magna esset, ut accipere non posset ad- » junctum.... pro suo numero in exhibendo tirone solum » ipsum respondere. » Qui vero exiguas possessiones habebant, consortium inter se præbitionis inibant et in vices juniorem dabant. Sin vero aurum esset pro tironibus inferendum, unusquisque pro modo capitationis suæ debitum solvebat [5]. Vocabatur autem *temonarius* qui munus auri pro junioribus exigendi gerebat, et quum munus sordidum esset, Curiales inter se illud partiebantur [6]. Lex etiam designaverat pretium junioris, pro quo collatores sex et triginta solidos temonario conferre debebant [7]. In Africa vero cariores erant tirones et trecenis aureis constabant [8].

Itaque, mutato mirum in modum delectu, *militia* vectigalis pars erat, et pecunia redimebatur. Sed Diocletiani

[1] Nullum jam dubium, Prototypiæ munus esse munus formalis pretii statuendi pro tironibus. Gothof. Comment. ad leg. 2. tit. XXIII, lib. XI.

[2] Julian. ap. Cod. Theod. loc. laud.

[3] Cod. Theod. l. VII, tit. XIII, l. 7.

[4] Theod. lib. VII, tit. XIII, l. 7.

[5] Ib.

[6] Ib. VI, tit. XXXV, l. 5 et Comment. Gothof. ad h. leg.

[7] Ib. VII, tit. XIII, l. 7.

[8] Ib. l. 20.

successores longius processerunt, et tironum præbitio, quæ prius *munus personale* fuerat[1], « in patrimonium viribus collocata fuit » a Valente, et *solarium* vectigal facta est[2].

Hanc autem commutationem induxerunt *colonatus* leges et fere universorum Agricolarum conditio : ex quo enim Rustici non sui juris sed alieni, ut *inquilini* et *censiti* facti erant, dominis eorum damnum inferebatur, quotiescumque ad sacramentum et militiam adigebantur. Discessu enim unius coloni minuebatur fundi pretium, tanquam mulus, equus, aratrum, vel quodvis rusticum instrumentum de prædio detractum fuisset. Non igitur pro parte virili, ut ita dicam, nomen militiæ dabat censitus, sed loco tributi a possessore Imperatoribus conferebatur, nec ullum inter eum et cætera vectigalia discrimen erat, nisi quod non ærarium aut horrea publica, sed vivus et animatus castra et militum ordines complebat.

At vero, quamvis de personæ muneribus collatio tironum in fundi vires translata fuisset, ea tamen immunes esse non desierunt multi, quorum numerus recensetur in quadam constitutione Honorii et Theodosii Junioris[3], et fere omnes consistorianos comites et militares viros continet. *Senatores* autem et *Honorati* non immunitate fruebantur, sed senatorum dignitati concessa erat « optio, vel tironum ipsorum præbendorum, vel eorum loco XXV solidorum[4]. » Principio fundi perpetuarii Rei Privatæ non onere tirocinii gravabantur, sed exinde, regnante Honorio, quum plurimas Imperii provincias jam occuparent Barbari, dominia Principis aurum quoque pro tironibus inferre de-

[1] Tironum..... productio..... personæ munus est. Archad. Chæres. ap. Dig. lib. L, tit. IV, l. 18, n° 3.

[2] Valent. ap. Cod. Theod. l. 7. L'obligation de fournir des miliciens fut d'abord personnelle ; elle devint ensuite, par une loi de Valens, une obligation réelle. *Lebeau*, X° mémoire, p. 347.

[3] Theod. XI, tit. XVIII.

[4] C. Th. l. VII, tit. XIII, l. 13 et 18. Symmach. VI, 62, 64, 58, IX, 10.

buerunt[1]. Hoc autem modo exhibendorum juniorum munus in possessores describebatur: nempe tirocinium imperabat Princeps et Indictionem *intimabat* Prætorii Præfectis[2], ut « eam ad omnium provinciarum notitiam pragmaticis edictis pervenire facerent[3]. » Deinde in singulos possessores, vel potius in consortes (ut Valentis supradicta lege statuitur), numerus tironum ex *encautario* civitatum dividebatur, et postquam hæc descriptio in acta Provinciarum insinuata erat, et « ex Rectorum sententiis recepta[4], » exactores tirocinii a tabulario civitatis *breves* accipiebant, in quibus possessores tributo obnoxii nominatim conscribebantur[5], et tunc debitorem (hoc enim vocabulo collatores designat jus Romanum) conveniebant[6], et eis *compulsionem* dabant[7]. Exactorum autem munus utpote sordidum in curiales incumbebat, et cum temonariis nomine *capitulariorum* comprehendebatur[8]. Recepta vero compulsione, possessoribus exhibendi erant tirones, quos unde sumerent, in dubio est. Juniores nonne ex adscriptitiis colonis ducebantur, ut affirmant duo doctissimi viri[9], quorum alter ad juris Romani historiam se potissimum applicuit? Sane quidem non cogitatione concipitur quomodo aliter fieri potuerit, quum Imp. Valens in Constitutione Constantinopoli data, expresse dicat: « Sive senator, » Honoratus, Principalis, Decurio vel Plebeius tironem ex » agro et domo propria oblaturus est[10]. » Sed, quum alia

[1] Cod. Th. Ib. l. 12 et 14.
[2] Ib. Cf. Cod. X, tit. XVII, l. 2.
[3] Valentin. III. inter Novell. Theodosii, XLI, l. 3.
[4] Cod. l. X, tit. XXI, l. 1.
[5] Constantin. ap. Cod. l. X, tit. IX, l. 1.
[6] Id. Ib.
[7] Cod. l. XI, tit. XVII, l. 4.
[8] Gothofred. Comm. ad tit. XXXV, lib. VI Theod.
[9] *Savigny*, de colonatu; *Guizot*, Hist. de la Civilisation, tom. III. leçon VII. Aliter sentire videtur *Lebeau*, mémoire X.
[10] Theod. lib. VII, tit. XIII, l. 7

constitutione vetuerint Impp. Theodosius Junior et Valentinianus tertius « colonos ulla ratione ad ullum quamvis humilioris militiæ locum admitti [1], » leges ambæ inter se pugnare videntur : attamen ad concordiam adduci possunt. Constitutio enim Theodosii Junioris ad eos inquilinos, qui nomen, invito inscio domino, ultro profiterentur, aut ab exactoribus conscriberentur injuste, et non ad legitimam tironum exhibitionem pertinere videtur. Hanc autem interpretationem confirmat ejusdem Theodosii lex, quæ jubet « possessores repræsentare actores et conductores agrorum suorum ut legionum numeris socientur [2]. »

Verum enim vero collatio juniorum plerumque nec ab ipso Imperatore nec ex ordine indicebatur. Magistri enim militum, duces, comitesque, atque etiam Præsidiorum Præfecti, si non pleni essent numeri sub eorum imperio positi, apparitores per vicinas provincias mittebant, qui delectum agitarent [3]. Hinc « exactiones perpetuæ et in exactionibus injuriæ non ferendæ, [4] » quibus finem constituit Imp. Zeno. Nam magistros et duces « probatorias militum facere » vetuit, « antiquata, quæ hactenus tenuerat, consuetudine [5]. »

Exhibiti autem tirones probandi erant, quod erat Probatorum munus. Quærenda vero erat ante omnia junioris origo, quod non fiebat, « nisi præsentibus Decurionibus civitatis [6]. » Ea enim conditione in legiones admittebantur tirones, « si non essent e numero servorum, neve e cau-
» pona ducti, vel ex famosarum ministeriis tabernarum, aut
» ex coquorum aut pistorum numero, vel etiam eo quem
» obsequii deformitas militia decerneret [7]. »

[1] Cod. lib. XI, tit. XLVII, l. 19.
[2] Valentin. III. inter Novell. Theod. XLI, l. 3.
[3] Cod. lib. XII, tit. XXXVI, l. 17.
[4] Lact. de Mort. 7.
[5] Cod. l. laud.
[6] Th. lib. VII, tit XIII, l. 1.
[7] Ib. l. 8.

Omnes enim ejusmodi homines indigni erant qui legionibus et auxiliis annumerarentur. Illi vero ob sua munera et officia inhabiles erant, scilicet in sacro palatio *militantes*, curiales, scribæ et logographæ civitatum [1]. Nec tironi aut domino credebatur, « nisi honestissimorum hominum testimonio adstipulante [2]. » Probata autem origine, de ætate et statura examen habebatur. Eligebantur vero ab anno nono et decimo [3], staturæ autem *encomma* quinque pedes et septem uncias usuales, ut sancit Codex [4], vel senos pedes, ut refert Vegetius [5], habebat. Sed leges de proceritate et ætate plerumque non observabantur; « si necessitas exegerit, » ait Vegetius, « non tam staturæ rationem convenit habere, quam virium [6]. »

Deinde accedebant quædam aliæ conditiones, ab auctoribus et assertoribus juris militaris diligentissime præscriptæ probatoribus, quas Vegetius in libro primo accurate exponit [7]. Sed, quamvis magni momenti essent, sæpissime negligebantur, et probatores « militem incuriosius legebant [8]. »

Sed post probationem novus miles « exercitio prætentandus erat, ut utrum vere tanto operi aptus esset, posset cognosci, » et postea « punctis signorum inscribebatur [9]. »

Ita se habebat collatio tironum, et in ea præcipue continetur Diocletiani et Constantini opus. Cætera enim priora sunt instituta, quæ Principes isti et successores eorum ordine tantummodo disposuerunt. In eo autem delectus modo locum non obtinere videntur urbium incolæ, quod

[1] Ib. lib. VIII, tit. II, l. 3 et passim.
[2] Ib. lib. VII, tit. II, l. 1.
[3] Cod. Th. l. VII, tit. XIII, l. 3.
[4] Valentinian. ib. l. 3.
[5] Veget. cap. 5.
[6] Ib.; Cf. *Lebeau*, XI[e] mémoire.
[7] Cap. 2, 3, 6, 7.
[8] Cap. 7.
[9] Cap. 8. Aet. Med. lib. VII, cap. 12.

cum Vegetii opinione convenit; dicit enim ille : « Ex agris » supplendum robur præcipue videtur exercitus, » et argumentis ab arte militari ductis propositum confirmat, quamvis non infitiandum existimet « post urbem conditam Romanos ex civitate profectos semper ad bellum. Sed tum » nullis voluptatibus, nullis deliciis frangebantur. Sudorem » cursu et campes triexercitio collectum nando juventus » abluebat in Tiberi. Idem bellator, idem agricola, genera » tantum mutabat armorum [1]. »

At vero, quamvis urbani in lege non appellentur, ad arma, si poscat necessitas, interdum compelli videntur [2]. Sed hoc non spectat ad tironum collationem.

Præter hanc delectus rationem, supplebatur quoque aliis modis Romanus exercitus. Delectibus scilicet obnoxia erant diversa hominum *corpora* [3], inter quæ primum locum obtinebant filii Veteranorum. Jussit enim Constantinus, illos programmate per omnes civitates proposito ad alterutrum compelli, ut aut Decurionalibus muneribus obtemperarent, aut militarent [4]. Præterea sanxit Theodosius Magnus, ut si in eadem domo duo filii essent « castrensi stirpe progeniti, » alter militiæ, alter curiæ vindicaretur [5]. Post veteranorum liberos, legionibus aut auxiliis inserendi erant Lætorum, Gentilium et limitaneorum militum filii [6], et deinde homines isti quos *vagos* et *vacantes* nuncupant Romanæ leges [7]. Quos omnes indagandi cura *Protectoribus* mandata erat [8]. Illi autem inter milites, quos *Præsentaneos* jus vocat, eligebantur. Nempe Principes, detrectantibus et aspernantibus militiam omnibus qui susceperant ratio-

[1] Lib. I, cap. 3.
[2] Id. ib.
[3] Cod. Th. lib. VII, tit. XX.
[4] Ib. tit. XXII, l. 2.
[5] Ib. l. 11.
[6] Cod. Th. VII, tit. X, de Veteranis.
[7] VIII, tit. XI, leg. 3.
[8] VII, tit. XVIII, l. 9 et 10.

nem artium studiorumque civilium, quamdam, hæreditario jure, « tantum in usum præliorum sepositam [1], » gentem, ut ita dicam, militarem, creare et instituere conati sunt. Quin etiam priscorum Ægyptiorum exemplo, qui paternam conditionem sequebantur, veteranorum filiis interdixerunt omni militia quam non parentes eorum *sudavissent* [2]. Militum autem liberi non tantummodo legibus ad sacramentum adigebantur, sed etiam quo officium suum libentius persolverent, spe honorum proposita et commodis alliciebantur. Nam qui, patre in armis mortuo, in ejus locum nomen profitebantur, eadem stipendia et easdem annonas obtinebant, et quasi necessariam hæreditatem adirent, ad eumdem *gradum* promovebantur, dummodo defunctus parens *Biarchi* duntaxat partes egisset [3].

Tandem accedebant qui sponte sacramenta flagitabant: statim vero de natalibus eorum ac de omni vitæ conditione, præsentibus Decurionibus, examen habebatur [4]. Nam a voluntariis adeo præcavere videntur Imperatores, ut, neglecta exercitus cura, propemodo spontaneam militiam prohibeant [5]. Corruptis enim moribus et remissa virtute, quum « civilis pars florentiorem abduceret juventutem [6], » nullus fere militiæ nomen dabat qui non aut dominum, aut curiam, aut civilia officia [7], aut etiam, admisso flagitio, judices et pœnas fugere vellet [8]. Eis scilicet in angustiis versabatur Imperium, ut nemo sortem mutare non optaret, et omnem vitæ conditionem sua potiorem non duceret.

Maximis autem in Reipublicæ periculis, vetus institutum *evocationis* in usum referebatur, et omnes quos « erigeret

[1] Tac. Germ. 29.
[2] VII. tit. I, l. 8.
[3] Cod. lib. XII, tit. XLVIII, l. 3.
[4] Cod. Th. VII, tit. II, l. 1.
[5] VIII, tit. XI, l. 3.
[6] Veget. III, 5.
[7] VIII. tit. XI, l. 3. VII, tit. II, l. 2.
[8] Ar. Menand. Digest. XLIX, tit. XVI, l. 4 et 16.

» ad militiam innata libertas[1] » ad arma exciebantur. Atque etiam ad servitiorum delectus descendebatur, quum, ut loquitur Honorius, « contra hostiles impetus non solæ » personæ, sed vires considerarentur[2]. »

Sed perraro Principes his auxiliis usi esse videntur, et tantum post Theodosii mortem, quum, jam irruptis provinciis, quo se verterent et quod consilium salutis inirent, nescirent novissimi Imperatores. Cæterum, jam desperatis rebus, vana erant eorum edicta, frustraque maxima nomina, amorem patriæ, communis defensionis studium, Rempublicam Romanam usurpabant[3]; plerumque etiam legem, nulla aut levissima, utpote sibi diffidentes, interposita pœna, statuebant, nec, quamvis civem qui militiam detrectaret, « confiteri se non esse Romanum » declararent[4], audiebantur.

Hoccine igitur modo comparatum erat, post Diocletianum et Constantinum, quod *civile* vocari potest, supplementum exercitus. Collatio autem tironum solerti animo excogitata, verum, ut cætera Diocletiani instituta, quum jam serum esset cavendi tempus, inventa videtur. Si enim indicta fuisset, quum nondum Imperii vires continuo bello attenuatæ et exhaustæ fuissent, forsitan in morem usumque venisset, et nullo refragante, maximis in periculis exhibita, Rempublicam ab interitu detraxisset. Namque apud Moscovitas res eadem usitatur, eaque exercitui conducit. Sed a Diocletiano apud Romanos constituta fuit, postquam provinciales civilibus artibus totam operam dederant, et militia omnibus grave et insuetum onus videbatur. Quum ita se res haberet, nihil intererat tirocinii modus, et omnia quamvis probanda, invisa erant, quæ ad præbendos tirones spectarent. Cæterum hoc quoque erat

[1] VII. tit. VI de tironib., l. 17.
[2] l. 16.
[3] Valentin. Nov. inter Novell. Theodosii XLII, l. 3.
[4] Ib.

in Diocletiani instituto vitium incommodumque, quod non præstituto tempore et ordine, sed ex inopinato collatio indiceretur. Sic fiebat ut delectus exspectatum præcogitatumque non videretur malum, sed improviso collatorem opprimeret, et ipsa infrequentia oneraret. Propterea de collatione juniorum, simul atque inventa est, maximæ querimoniæ habitæ sunt, si fidem habere Lactantio licet, nam sic loquitur : « Non tolerari possunt quæ ad exhibendos milites spectant [1]. »

Nec vero collatoribus tantum, sed etiam Reipublicæ gravia et perniciosa erant, quippe quæ ærarii opes exhaurirent. Nam, ut sub vexillis detineretur, multis præmiis et immunitate varia donabatur novus miles. Quæ sic in Codice recensentur : « Si oblatus Junior fuerit, qui censibus tenetur insertus, ex eo tempore, quo militiæ sacramenta susceperit, proprii census caput excuset, ac si quinquennio tempus fida obsequii devotione compleverit, uxoriam quoque capitationem merito laborum præstet immunem.....: patris quoque et matris capitationem.... excusabit [2]. » Paribus autem beneficiis fruebantur veterani, qui, *testimonialibus* quæsitis, « in ullo munere civili, nec in operibus publicis, nec ulla collatione, nec vectigalibus conveniri poterant [3]. » Sed, quum nemo immunis esse posset, qui non cæterorum sortem aggravaret, inter paucos collatores eadem onera crebrius redibant, et pro nonnullorum commodis et utilitate, omnium fortunæ labefactabantur. Hoc insuper rei rusticæ officiebat, quod domini, non quos fastidirent exactoribus præbere possent, sed meliores fortioresque colonos [4]. Paulatim igitur agri, collatione tironum simul ac enormitate indictionum consumptis rusticorum viribus, deserebantur, et culturæ in sylvam vertebantur [5].

[1] Lact. de Mortib. Persecut. 7.
[2] Cod. Theod. lib. VII, tit. de tironib., l. 7.
[3] Cod. lib. XII, tit. XCVII, l. 1.
[4] Veget. 1, 7.
[5] Lact. de Mort. Persecut. 7.

Crescente vero in dies hujus improbatæ collationis acerbitate, omni ope et opera enixi sunt possessores, ut gravissimum onus a se removerent. Tributum enim annuum pendebant potius quam juniores præstarent [1]; sed quum simul pecuniam pendere, simul tirones præbere, plerumque cogerentur, ad dolum conversi, omnibus modis exactores et probatores decipere conabantur. Mancipia enim et colonos alienos [2], vel vagum, vel desertorem, vel veterani filium, vel indignum offerebant [3]. Tirones quoque, ut militiam fugerent, omnes tentabant vias, et vel latebras quærebant [4], vel digitos mutilabant [5], vel deserebant [6]: aut sacerdotio initiabantur, aut quod Galliarum rustici « ire » in Bagaudiam » vocabant, latrocinabantur. Quum sic reluctarentur et adversarentur subjecti, « indictis per pro» vincias tirociniis, omnis ordo et professio vexabatur [7]. » Nam temonarii qui juniores exigebant, promissa quorumdam munerum liberatione in collatores et tirones exasperati [8], et tribuni qui requirendorum desertorum sumebant officium [9], « sub hujusmodi professione provincias vasta» bant. » Leges autem modo indulgentia revocare, modo pœnarum atrocitate terrere militem conabantur. Nunc enim pœnitentiæ datus erat locus, nunc vero metalla aut ignis et confiscatio bonorum desertoribus et occultatoribus eorum proponebantur [10]. Sed frustra hæc omnia tentabantur, et sæpe cum possessoribus et tironibus, ipsi etiam, qui legem defendere debuissent, pactionem frau-

[1] Ammian. XXXI, IV, 4.
[2] Tit. de tironib., l. 11.
[3] Ib., l. 7.
[4] Ib., l. 21.
[5] Tit. XXII, l. 1.
[6] Cf. tit. de desertorib.
[7] Ammian. XXI, VI, 6.
[8] Cod. Theod. VII, tit. XVIII, l. 3.
[9] Id. ib., l. 17.
[10] Cf. tit. XVIII de desertoribus et occultatoribus eorum.

dis et contumaciæ faciebant magistratus[1]. Nec major in veteranorum filiis et hac militari gente, quam præliis reservare voluerant Imperatores, fiducia esse poterat. Quos enim « militiæ origo consignabat » et præmia ad arma vocabant[2], non secus ac coloni sacramentum aspernabantur[3].

Nempe etiam post emendationem a Diocletiano factam tam difficile erat exercitum supplere quam quum maxime. Quum igitur res tanti laboris esset, in conservando milite cautiores Principes erant, quod Imp. Constantio crimini vertit Ammianus[4]. Atque etiam ne tumultuarios, si bella longius producerentur, delectus agere, et inertes inexercitatosque tirones armis onerare cogerentur, revocata Claudii lege, *Accrescentes* instituerunt. Scilicet « centeni aut quinquageni juniores, extra hos qui in » matriculis continebantur, habebantur in promptu, et » armis exerciti in locum amissorum militum subrogari po- » terant[5]. » Sed hæc optima lex, qua jam alio tempore atque etiam ante Principatum Augusti[6], usi fuerant Romani, non observata fuisse videtur, ut liquet ex veteri quodam scriptore Notitiæ Dignitatum subdito[7], et in Justiniani codice deest.

Omnia illa experimenta in lucem proferebant lassitudinem Provincialium, et Romanarum virium defectionem. Huic autem malo non solum Principes sed etiam privati homines remedia quæsiverunt; quorum unus Flavius Vegetius Renatus quinque libros de Re militari scripsit, et Imperatori Valentiniano dicavit. Sed illud opus, quamvis plenum refertumque pretiosis documentis, et perutile pos-

[1] In hac pœna sit *officium* uniuscujusque judicis. l. 1.
[2] L. 10.
[3] Cf. tit. XXII de Filiis militarium apparitorum et veteranorum.
[4] Amm. XXI, XVI, 3.
[5] Cod. Theod. VII, tit. I. l. 11.
[6] Nonn. ex Varron. in Optiones, Cf. *Lebeau*, X[e] mém. p. 343.
[7] Cap. 3 de relevando militari sumptu.

teris, parum Vegetii æqualibus profuisse videtur. Nam, ut profitetur auctor, « nihil sibi auctoritatis assumpsit [1], » et priorum librorum velut epitomata conscripsit. Laudatores autem morum et institutorum veterum nihil ad tempora sua proficiunt, nam præsentibus remediis præsentia egent mala. Attamen Vegetius vere Romano animo ferebatur, quum, ut Provinciales ad virtutem adhortaretur, exclamavit : « Non degeneravit in hominibus Martius » calor, nec defectæ sunt terræ, quæ Lacedæmonios, quæ » Athenienses, quæ Marsos, quæ Samnites, quæ Pelignos, » quæ ipsos progenuere Romanos. Nonne Epirotæ armis » plurimum aliquando valuerunt? Nonne Macedones ac » Thessali, superatis Persis, usque ad Indiam bellando » penetrarunt? Dacos autem et Mæsos, ac Thraces, in » tantum bellicosos semper fuisse manifestum est, ut ip- » sum Martem fabulæ apud eos natum esse confirment [2]. » Sed ἄλκιμοί ποτ' ἦσαν Μιλήσιοι.

Quum hac igitur juventutis penuria laboraret Imperium, externos, sacramentum recusantibus civibus, milites accire necesse fuit. Hæc autem agendi ratio non nova insuetaque, sed ipsis Romanorum moribus apta et conveniens erat. Duplex enim Romæ ingenium fuit, cujus, ut ita dicam, *concordia discors* [3] ad Imperii magnitudinem valuit. Nempe patricium illud ingenium, antiquum, fretum jure pontificio et legibus XII tabularum, quo plebs connubio et honoribus, socii a civitate secluduntur. Hoc idem est quo maximo in honore habebantur et cum diligentissima cura servabantur aviti mores institutaque patria, transmittebantur doctrinæ et exempla majorum, quo civis Romanus se populis cæteris præstiturum, si legibus et disciplinæ inserviret, esse ducebat; quod denique proprie Romanum

[1] I. cap. 8. Comme il confond la milice de tous les temps, il est plein de contradictions, du moins apparentes. *Lebeau*, IV[e] mémoire, tom. XXVIII. p. 61.

[2] Veget. lib. I. cap. ult.

[3] Quod velit et possit rerum concordia discors. Horat. lib. I, Ep. 12.

et senatorium vocari possit. Alterum est tribunitium humanumque, quod liberalius quam cautius, primum æqua civibus omnibus jura irrogat, tum alienigenas in civitatem recipit, et Romam « transfert, quod usquam egregium sit[1]. » Scilicet hoc ingenium, gentium jure et natura subnixum, civilis juris sævitiam prætoriis edictis labefactat, et humanum genus loco magnæ familiæ habet, quam Romani ducunt, ut « terræ gentesque in nomen eorum coalescant[2]. » Hoc autem ingenium Terentio suo Scipiones suggessisse celeberrimo versu videntur : « Homo sum et nihil humani a me esse alienum puto; » hoc quasi imbutus Claudius, pro Galliæ primoribus disseruit[3]; hoc denique extollit Cerealis quum Lingones monet : « Pacem et urbem » quam victi victoresque eodem jure obtineant, ament co- » lantque. Ipsi plerumque legionibus præsidetis, ipsi has » aliasque provincias regitis : nihil separatum clausumve[4]. »

Hac scilicet opinione ducti fuerunt Imperatores et primus eorum Augustus, ut Barbaros in quamdam fortunæ Romanæ societatem assumerent, et hanc Imperii compagem, « quæ convelli sine exitio convellentium non posset[5], » ipsa lacessentium manu tuerentur. Vere enim humana est vox illa Julii Capitolini : « Æquitatem circa captos hostes » custodiens M. Aurelius, infinitos ex gentibus in Romano » solo collocavit[6]. » Alii autem postea illam æquam liberalemque opinionem tenuerunt atque defenderunt, sed nemo speciosius quam Græcus orator Themistius, quum Barbaros « humani generis supplementum (τὸ συμπλήρωμα τῆς φύσεως ἀνθρωπίνης) » atque ideo « partem Imperii (τῆς ἀρχῆς μοῖραν) » appellaret[7].

[1] Tac. Annal. XI, 24.
[2] Id. ib., 24.
[3] Ib.
[4] Tac. Hist. IV, 74.
[5] Tac. Hist. IV, 74.
[6] Capitol. in M. Antonino. p. 32, D.
[7] Themist. Or. X de pace Valenti dicta, Ed. Petav. p. 230.

Sed veterum morum amatores servatoresque, quum angustiore et prudentiore animo res perspicerent, irruptum exercitum, et cohortes alienigenarum, velut captivitatem illatas asserebant[1], et non injuria timebant ne illa ratione in extremum discrimen Respublica adduceretur. Quæ vero incassum prædicabant, Roma autem præceps agebatur quo fortuna fataque eam vocabant. Nam Principes aliter agere nequibant, et cives, propriis intenti negotiis, et Rempublicam ut alienam negligentes, quibus auxiliis fesso imperio subveniretur, dummodo ab eorum opera tirociniisque abstinerent Principes, non curabant[2]. Omnes autem, ut pote qui maximam rerum Romanarum fiduciam haberent, etiamsi maximis in periculis versati fuissent, cum Gallico poeta Numatiano dicere potuissent :

Quæ mergi nequeunt nisu majore resurgunt
Exsiliuntque imis altius acta vadis[3].

Præterea, urgente necessitate, non erat prudentiæ locus, et quum, jam dudum aspernantibus militiam civibus, cresceret cum Imperii necessitatibus desperatio provinciarum, experiendum erat omne remedium, ut Romæ saluti consuleretur. Inde factum est ut novissimi Principes Barbaros in provincias et exercitus admiserint, et, deficientibus viribus propriis, plus quam prudens fuisset, externis auxiliis Rempublicam roborare voluerint. Barbari igitur recepti, sed non eadem ratione omnes habiti fuerunt. Nempe alii captivi Romanum in solum inducti fuerunt, et per provincias dispersi, ut vel dominis servirent, vel agros colerent[4]. Quod non novum erat, sed a priscis Romanis usitatum; Romulus enim « plerosque populos eodem die hostes, dein cives habuerat[5]. » Alii autem Barbari pro-

[1] Tac. Annal. XI, 23.
[2] Amm.
[3] Rut. Itin. I, v. 129.
[4] Treb. Poll. Cl. p. 215. Vop. Prob. 239. Cl. Mam. Pan. Maxim. 4.
[5] Tac. Annal. XI, 24.

miscue cum Provincialibus[1], in limite collocabantur, et terris acceptis, ut Ripenses vel Riparienses Imperii fines tuebantur[2].

Quidam vero singuli in ordines admittebantur et exercitum supplebant; quorum numerus, Theodosio imperante, adeo excrevit, ut, quum jam Romanorum militum numerum excederet, Principem afficeret maximo timore[3]. Sæpe etiam totæ gentes suscipiebantur et terras in provinciis obtinebant, ea scilicet conditione, ut cum opus esset, auxilia suppeditarent. Quod, florentibus rebus, jam usurpatum fuerat, sed, « ne quietas provincias immixti turbarent Barbari[4] », in proximis limiti agris collocabantur. Primus omnium M. Aurelius Germanas gentes in pacatis regionibus constituit[5], deterrimum exemplum quod exinde sequentes Principes imitati sunt. Provinciæ enim paulatim, quum, exstinctis aut deserentibus eos colonis, agri squalerent, Barbaris cultoribus, quos *Lætas* et *Gentiles* vocant leges et scriptores[6], repletæ sunt. Ait enim Claudianus poeta :

Ostrogothis colitur, mixtisque Gruthungis
Phryx ager[7].

Denique Barbaræ nationes, Imperatoribus, fœdere inito, certum militum numerum suppeditabant[8]. Auxiliares autem illi sub Fœderatorum nomine militantes, propriis institutis et ducibus utebantur[9], pellibus induebantur, coma

[1] Hi, quibus vel corporis robur vel statura defuerit, qui Comitatensi digni possent esse militia, Ripensi potuerunt copulari. Cod. Th. VII, tit. XXII, l. 8.

[2] Cod. Th. VII, tit. XIV, l. 11 et pass.

[3] Zosim. lib. IV. oblata, ut præceptum erat juventute valida nostris tirociniis permiscenda. Amm. Marcell. XXXI, cap. 10.

[4] Tac. Ann. II, 63.

[5] Dio. Theod. lib. LXXI, p. 807.

[6] Cf. *Lehüerou*, Institutions mérovingiennes, l. I, ch. 3.

[7] Claudian. in Eutrop. II, v. 153.

[8] Jornand. de Rel. Geticis 21.

[9] ἤθεσιν ἰδίοις χρωμένην. Synes. Orat. de Regno, p. 21

inter alios milites conspicui erant [1], et adeo Romanis legibus alieni, ut in codice Theodosiano uno tantum loco eorum mentio fiat [2].

Nempe metuendi illi auxiliares, quorum in dies augebatur numerus cum Reipublicæ periculis, audacia abundabant, et adhuc servientes jam dominos agebant. Nam sub hoc pacto veniebant ne ducerentur in longinquas regiones [3], affinitates Provincialium expetebant [4], terras Læticas [5], invito Principe, occupabant, dignitates Romanas affectabant et, repulsæ impatientes [6], semper parati erant seu bellum, seu latrocinia agitare. Præterea perturbationem non minimam in omnem exercitum afferebant, quum ad nomen non responderent, munia Romanorum ægerrime tolerarent [7], inter cohortes promiscue versarentur, et ideo descriptio eorum qui legionum numeris accensebantur, retineri non poterat [8]. Manente autem Barbarorum cæterorumque militum discordia, et, « ubi adversus » paganos certandum foret, consensu [9] », turbæ in imperio quotidie excitabantur. Accedebant quoque diversarum gentium et tribuum simultates, quas, quum Romanum in solum transtulissent, jurgiis alienis Respublica vexabatur [10]. Sæpe etiam externi, qui pro Imperatoribus merebantur, quum populares suos per nuntios occultos Romana consilia docerent, ne bene cœpta prospere cederent, inhibebant [11]. Nihilominus advenis complebantur provinciæ et exercitus et nihil eis clausum erat : legionibus enim

[1] ὁ βάρβαρος ἀπὸ τῆς κόμης. D. Joan. Chrysost., tom. V, 550. A.
[2] Cod. Theod. lib. VII, tit. de tironib., l. 16 et not. Gothofred.
[3] Amm. lib. XX, IV, 4.
[4] Cod. Theod. l. III, tit. XIV, l. 1.
[5] Id. lib. XIII, tit. II, l. 9; l. VII, tit. 15. l. 1.
[6] Claudian. in Eutrop. II, v. 177.
[7] Drep. Pac. Panegyr. 32.
[8] Zosim. lib. IV.
[9] Tac. Hist. II, 88. Zosim. l. l.
[10] Ut exemplo utar, odia Alarici et Sari ; ambo Gothorum.
[11] Amm. XIV, X, 7; XXIX, IV, 7.

præerant, ducatus comitatusque obtinebant, magisteria potestate augebantur, consulatum occupabant[1], nihil denique civibus præter imperium relinquebant. Nec ab eorum audacia tutum fuit illud summum Romanæ potestatis fastigium; suscepere Barbari imperium transferendum, et transtulerunt[2].

Sed, quum magis ac magis apud Principes gratia valerent, terrore perculsi plerique Romanorum de prodito, et alienigenarum quasi præda facto Imperio querebantur. Quorum opinionem secuti, Vegetius, Ammianus, Zosimusque, et incertus auctor libelli cujusdam *de rebus bellicis* et poeta Claudianus, seu graviter, seu invidiose, hanc agendi rationem vituperaverunt. « Vilius enim constat », aiebat Vegetius, « erudire armis suos quam alienos mer» cede conducere[3]. » Christiana quoque fides hujus mali causa esse arguebatur, nec magis Constantinus, Theodosiusque, Christiani ambo, ut novatores turbatoresque priscarum legum et moris antiqui, incusabantur, quod patrios deos deseruissent, quam quod Barbaros honoribus auxissent[4]. Hinc etiam seditiones et usurpationes coortæ sunt : Gratianus enim regno et deinde vita spoliatus est, quod Alanos transfugas largioribus muneribus cohonestasset, et Pontifex maximus appellari noluisset[5]. Non multis ante annis, Julianus, qui fidei christianæ desertor, Constantini memoriam exagitabat, quod Barbaris amplissimum consulatus detulerat honorem[6], patrios deos et simul una civiles exercitus in pristinum decus se redacturum pollicitus erat. Sed ipse Julianus Nevittam, Germanum hominem, ad consulatum promovit[7] et Saracenos ad commilitium acci-

[1] Ammian. Zosim. pass.
[2] Zosim. lib. IV, de nece Gratiani.
[3] Veget. lib. I, cap. ult.
[4] Ammian. lib. XXI, X, 8.
[5] Zosim. lib. IV.
[6] Ammian. lib. XXI, X, 8.
[7] Id. ib.

vit [1], quasi suum de Constantino judicium refutare, et seipsum, quam auxiliis Barbarorum indigeret Respublica, documentum fieri voluisset.

Mortuo autem Theodosio, quem Jornandes « amatorem » pacis generisque Gothorum » appellat [2], quum fere in omnibus Provinciis Barbari insiderent, et omnibus Imperii exercitibus præesset Stilicho, homo Wandalicæ gentis, Synesius, Cyrenensium legatus, Arcadium in præstantissima de regno oratione monuit ut auxiliares Barbaros a legionibus et Republica removeret. « Pastor » enim (sic autem fortiter et animose loquitur Cyreneus orator) « non debet » canibus lupos miscere, nec legislator arma illis dare, » qui non nati et enutriti sunt in legibus ejus... suspensus » est scilicet in Rempublicam tenuissimo filo Tantali lapis; » et nos aggredientur, ut primum incepta prospere cessura » existimaverint. Necesse est igitur dimitti Germanos, et » ex agris vocari qui pro eis periculum adeant, philoso- » phosque ex scholis, opifices ex officinis, et mercatores » ex tabernis exciri: istique populo, qui velut iners fucus, » sedem in theatro collocat, forsitan suadebimus, ut ab- » jectis nugis strenuus fiat, antequam ad fletum a risu » transeat [3]. »

Sed magnificæ illæ voces inani studio effundebantur, quum, exhaustis viribus et fractis animis, nihil in Imperio præter externos validum esset. Res enim in eum locum adducta erat, ut Roma, quam Barbari undique aggrederentur, non, nisi a Barbaris, defendi posset, et eorum in arbitrio omnino esset posita. Jam vero non singuli, sed gentes in provincias ingruebant, et invitis vel non invitis Imperatoribus, in possessionem Imperii veniebant, nunc Romanas regiones usque ad internecionem vastantes, nunc

[1] Id. lib. XXIII. V, 1.
[2] Jornand. de Reb. Get. 29.
[3] Synes. Orat. de Regno, p. 21 et 22.

hospites et milites Romanorum se præferentes. Nam, ut ait poeta :

Spoliis prædaque repletus,
Quum libeat, Romanus eris [1].

Exercitus autem Romanus, quum delectus provincialium jam diu haberi desiisset, nomen tantum erat : nempe in copiis Majoriani omnes orbis populi recensentur, præter ipsos Romanos :

Rigidum septemplicis Istri
Agmen in arma rapit : . . . .
. . . . Bastarna, Suevus,
Pannonius, Neurus, Chunus, Geta, Dacus, Alanus,
Bellonothus, Rugus, Burgundio, Vesus, Alites,
Bisalta, Ostrogothus, Procrustes, Sarmata, Moschus,
Post aquilas venere tuas. Tibi militat omnis
Caucasus et Scythicæ potor Tanaiticus undæ [2].

Sic, exercitu quasi exstincto, miserandum in modum corruit Imperium Occidentale, cujus supremam illam necessitatem non sine mœrore summo contemplamur. Quamvis enim cum ignominia et dedecore cadere Roma videatur, Romanus exercitus, etiam ultimis temporibus, bene de humano genere meruit. Nam, quum « hanc compagem, quæ octingentorum annorum fortuna disciplinaque coaluisset, » per quadringentos annos defenderit ab ingruente Barbarorum colluvie, Romæ suis fungi partibus et perenne illud ac magnificum opus peragere datum est. Namque per continuatam illam bellorum

[1] Claudian. in Eutrop. II, v. 228.

[2] Sidon. Carm. V. Panegyr. Majorian., v. 472. Dans ces endroits où Vegèce semble avoir dû rassembler toutes les causes du mauvais état des légions, il ne dit pas un mot de celle que nous donnons pour la principale, c'est-à-dire du mélange des Barbares avec les Romains dans les légions .... Il est constant que cette illustre milice, après avoir fait trembler l'univers sous la République et sous le Haut Empire, s'évanouit enfin par des dégradations successives. *Lebeau*, 1er Mém. sur la légion, p. 477 et 469.

seriem, summam Imperatores operam in regendis et apte administrandis provinciis collocavere, quas dissimiles antea inter se et perinde ac cœli ingenio ac regionum intervallis, ita disciplinis et moribus distractas, lingua eadem, iisdem legibus atque institutis informandas curavere. Æquius autem et naturæ accommodatius factum est Romanum jus, et, exutis priscorum Quiritum formulis, ad natam, non scriptam legem propius accessit. Barbari quoque paulatim Romanis moribus sociati sunt, « prolata ultra Rhenum » ultraque veteres terminos imperii reverentia [1], » et tandem, quum pace et omnibus pacis artibus orbis frueretur, Christiana fides, quæ, convulsa Imperii compage, ad coagmentandam novis legibus novam hominum societatem comparata fuerat, late propagata est.

Itaque fecerunt operæ pretium Romani illi exercitus, qui tanta bona humano generi sanguine et sudoribus suis pepererunt.

[1] Tac. Germ. 29.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, ipsis idib. septembr. anni MDCCCXLIX,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

J. Vict. LE CLERC.

Typis mandetur.

ROUSSELLE,

Rectoris vices gerens.

Vesontione. — Ex Typis viduæ C. Deis.

ERRATA.

Page 22, not. 5, lig. 3, pro *poplitas*, leg. *poplites*.
Page 28, lig. 21, pro *debilitatum*, leg. *debilitatus*.
Page 35, lig. 3, pro *delectum*, leg. *delectus*.
Page 36, lig. 23, pro *rœregiones*, leg. *rœ regiones*.
Page 39, lig. 2, pro *patrimonium*, leg. *patrimonii*.
Page 43, lig. 7, pro *campes triexercitio*, leg. *campestri exercitio*.
Page 50, lig. 27, pro *σνμπλήρωμα*, leg. *συμπλήρωμα*.
Page 53, not. 10, pro *ambo*, leg. *amborum*.
Page 56, not. 2, lig. 2, pro *Vegèce*, leg. *Végèce*.